

III.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 10.

Politica Eventa.

Elysium-Meum. Die Matris. 20. Feb. 1810. (Neov. 2. Feb. 1810.)

Carsela 27. Jan, Decreto 24. h. m. Sua Maj. sequentia membra Commissionis Statuum pro presente Sessione Præsides Sectionum denominavit: „D. Com. a Keller Præsidem Commissionis ærartalis, D. a Porbeck Castellæ Præsidem Commissionis legum civilium ferendum, D. a Kaisenberg Præsidem Commiss. leg. Crim. ferend. Decreto de 25. h. Consiliarius Status Comes a Meerveldt Gen. libellorum Magister pro 1810 creatus est. Decretis de 24 & 25 h. Rex numerosos Equites Coronæ de Westphalia creavit.

Jussu Suae Maj. D. Gen. D. *Allix* Gen. Director rei tormentariæ Regni, die 22. h. diversa secundum novum, a se inventum Systema præparata pedalia bellicarum machinarum & tormentarios Currus publicæ probæ substravit. Effectus tentaminis plene theoretica, quibus Systema innititur, principia defendit, continetur eo pro cunctis currum speciebus, una saltim currus forma, & tres rotarum species. Currus solo corpore differunt intuitu singularis cujusvis usus. Prolixum foret singularia adjuncta recensere, per-

fectionis, quam novum hoc Systema largitur. Nos ad præcipua Commoda, quæ ex eo promaneant restringimus: 1) Carrus hic vestigio & cito verti possunt. 2) Ad omnes directiones versari, quia aliquod in re tormentaria notum periculum e. g. ut ruat, metuumdum sit. 3) Vectura cum his curribus adeo est facilis, ut pene per omnes vias succedat. Diveræ hæc dotes nulla ratione detrahunt facilitati, mobilitati & durabilitati eorum. — Systema laudati Gen. Allix posset pro sola perfectione Gribouvalliant Systematis considerari, recedit nihilominus a *Gribouvallio*, imo ab ipso *Valiere*, cum hic 13 species Curram, totidem axes, & 25 rotarum retineat (W. M.)

Habeatur Cel. Bodmannii Excerpta in Ephemeridibus Moguntinis ex Annalibus Statisticis (annuaire statistique) de Commercio in Rheo.; sunt ea memoratu digna, ut lectoribus communicentur, & publico meditationum ejus amoenitates familiares fiant.

Maxime notabilis ramus Commereii ditionum Rheo adsitarum est cum Hollandia, Naturales & artificiales necessitates nostræ sorti hujus regionis nos alligant, & amicabilem nexus, qui intercedit regimina utriusque status vincula naturalia arctius ligat.

Noster Districtus vinum, fruges, herbam nicotianam, Cannabem, Semen trifolii, rubiam tinctorum, oleum, ligna pro ædificiis, Cnere clavellatos & cruda materialia in Hollandiam mittit; auctor votum ostendit; ut

Cæsar præstationes evehendis seminibus trifolii, & vitibus impositas aut penitus tollat, aut saltem magnopere minuat; hæc duo producta conferre ad florem multarum Communitatum quæ concursum cum trans Rhenanis in quibus mercium depositio nullis impedimentis obnoxia, perferendo impares sunt, proia productorum horum culturam sensim deserere coguntur.

Hollandi vina, quæ a nobis aquirunt non omnia consumunt, sed plerumque cum lucro rursus exportant. Idem obtinet & cum frugibus, quas fertilitate sua merito celebrata Palatina planities uberissimè producit; Dorderacum, & Amstelodamum emporia sunt pro his productis, quas prius in Angliam expedire, quam pertinax & depascens bellum cunctis labetaculis.

Hollandia nobis maritimos pisces, adipem pleuriam, caseum, cochenillam, Indicum præprimis eas coloniales merces largitur, quarum pretium Commercii adhesio fortasse minui, quam speculativa lucri cupido elevavit. Saccharum & Coffea non pertinent amplius ad artificiosas vitæ nostræ necessitates, Consumptio eorum est universaliter ad infimas societatis Classes extensa. Nullum quidem est meritum abundantiam omnibus, si inopiam ad patrioticas carentias orationibus, animum solantibus, excitet. Utque exemplum eorum quam doctrinam sequi mallems. — Homo, ajuat, & sine Coffea & Saccharo vivere potest! Sine dubio — & quid est, si

ne quo vivere nequiret? — Si omnia, quæ ad conservationem physicæ vitæ necessaria sunt, artificiosis necessitatibus accensentur, tum ipse Samojeda, & Tungusus plane restringi adhuc posset, apud quos quoque species quæpiam luxus deprehenditur.

Commercium Rhenanum & navigatio a læthalibus ictibus, quos malefaustum bellum cum Anglia eis incussit, tum primum respirabit, ubi bellum hoc ad finem perductum fuerit. Si armorum vis illud non terminaverit, fortassis tunc ei finem facient æquiores cogitandi rationes, lassitudo in pugna, quæ tam pauca tropæa suppeditat, cum hostes se mutuo vix condongant, ruinaque immitis regionis, quod Egoismo suo omnia, honorem & amicitiam immolavit. — Usque eo quæ, mutari necesse est, ut mutuo tolerandum, in qua victoriam Continens referre debet de aquis.

Commercium inter ambo littora, quod per Moenum, Necaram, & distat ad orasse exporrigit, notabile est, atque in Districtum nostrum plurima ex eo redundavere emolumenta. Nostra regio pecuniis ab exteris oris percepit, cum bilanz ejus sit negativa. Nos vinum, fruges, oleum, rubiam tindorum (Grapp) nicotianam, Cineres Clavellatos, & crudas mineras exportamus, contra importamus ligna focalia, pecora cornuta, Caseum, aliquasque necessitates. Vina Gallicana in pluribus Germanicæ regionibus certas prærogativas habe-

bant, cum nulla aut exigua in — & exportationis telonia solvenda eis fuerint. Cum novi Rhenani Districtus partem Galliae efficiant, naturæ conveniens erat utique earum vina eundem favorem præterdiffe, & reapse eum obtinuerunt intercedente & benigne agente Præfeco Donnersbergensi Anno 1808.

Diversi generis adjuncta jam detrimentum jam emolumentum Commercio attulere, eorumque ætio continuabitur, ubi pax cum Anglia confecta fuerit.

Cum Telonio Incolæ Rheni in genere nondum in gratiam redire, quamquam consuetudo, quæ tam sæpe apud homines cœratio valet, ea tolerabiliora docuerit, quam tempore eorum erectionis admittere placuit. Cæterum si reipublicæ necessaria, tum limitum Incolæ, quibus præcipua ratione gravia secidunt, salutis totius holocaustum ferre debent, quod nemo Civium communi Bono valet denegare. —

Per privilegium navigationis Rheni Commercio & navigationi emolumentum accessit; ante pacem in Villa Lunæ censebantur 24 telonia inter Argentoratum & Hollandiam.

Hodie 12 eorum habentur, & negotia expeditius procedunt, & expensæ, ut opinio est, pauciores sunt.

Pro Commercio Oeconomico (transitorio) Moguntia situm egregium habet; florabat quoque ante bellum, adjunctaque sinistra urbem prærogativa spoliare non poterant, quam benigna mater natura largita est. Pro-

pemodum quævis expeditiones in Hollandiam tendunt, aut ex ea procedunt. Ex Helvetia, a Moeno, & Necara superflua remotarum regionum eo d-feruntur, & eis suppeditat in vicem producta novi orbis & Ostindæ.

Singulare spectaculum præbent rates, quæ instar pagorum natantium per regium torrentem defluunt. In regione Rhæni inferiore plerumque longitudinem 300 metrorum, & proportionatam latitudinem habent. Ad ratem duceadam opus est, ut habet proverbium, Capitali Summa 300,000 Fr. nampe 100,000 in Sylva, 100,000 in Rheno, & totidem expensarum itinerarium. Rates ex Moeno usque Dordracum 30000 Fr. telonii titulo solvunt, & ordinariis annis earum 12 in Hollandiam expediuntur.

Berolino 19. Jan. Sua Maj. in argumento quorumvis Regionum ordinum Gen. Commissionem decrevit, cujus Præses Gen. Locum, Dietricke & Collagii membra: Secr. Consiliarius Status Nagler, Secretum Supr. Justitiæ Consiliarium a Raumer, Collonellum a Bogislawsky & Vig. Supr. Præfectum Boyen denominare dignabatur; ex Diplomate explicante pro R. Borussiae ordinibus & Insignibus seqv. excerptimus: Ob valorem, quem nationale meritum cujusvis generis apud nos & rempublicam habet, id generatim publica distinctione quoque honorare, præmiare, excitareque volumus.

In hunc finem adjungimus actu existentibus ordinibus & insignibus Monarchiæ no-

stræ hisce secundam, & tertiam Classem rubræ aquilæ & meritorum numismatum ad ligulam hujus ordinis &c. secundæ nunc conditæ Classi rubræ aquilæ ordinis eadem nova Crux, attamen paullo minor in ligula arctæ ejusdem coloris cum ligula ordinis primæ Classis ex collo gerenda. Tertia nunc neo erecta Classis eandem ornem gestat, cum arctiore paulum ligula in fisco vestimenti, quod globulo fibulatorio illigando servit.

Occasione distributionis insignium, 54 personæ aquilæ rubræ ordine 3tæ Classis donabantur, in cæteris legatus quoque Principis Primatis. Heri solennia Coronationis & ordinis ad hujatam aulam celebrata.

Varsovia 18. *Jan.* Ex limitibus Russicis nunciatur, multa prædia eorum, qui in aliquo Polonico exercitu stipendia faciunt, in Russica Polonia sequestro adfecta, pluresque Polonicos Officiales qui eo concessere, comprehensos esse.

Certi ex Turcia nuntii adfirmant; D. Gleyszior Polonum, olim Centurionem in Polonicis stipendiis, Præfectum (Bascham) cum insigni duarum equinarum caudarum creatum, acie ad Silistriam die 22. Oct. præcipuam partem habuisse. Hæc occasione memoris nobis subit C. a Gersdorf, qui longo tempore pedes Germaniam lustraverat tandem repente sub bello postremo Austriaco Turcico ad M. Vezirium exercitus Turcei comparuit, irruptionemque Copiarum Turcorum in Banatum moderatus est, admodum

damnosam. Bello septennali in stipendiis fuit Austriaois.

Amstelodamo die 27. Jun. Officiosè ex relationibus intelleximus die 24. h. Gallicas copias Bredam & Bergam ad Zomam ingressas esse; hæc copię partem Borealis Gallicani exercitus efficiunt. Secundum tenorem litterarum Suxæ Maj. Regis de 19. Parisiis datarum occupatio horum fortaliorum cum assensu Suxæ Maj. facta est. Batavæ Copię adhuc ibi mansere, & copias utriusque nationis optima concordia intercedit.

In Commersio res tepide procedit. Frigus recruduit. Speramus lenem glaciei solutionem locum non habituram. Secus easdem, quas anno superiore eluvionis metendas haberemus.

Diademata Regnum.

Tantopere durum profecto non est onus diadematum quem venerandæ vetustatis tempore, — Regis Davidis vertici imponebatur Centenarium auri adpendens Corona, non computatis Unionibus (Sam. II. 12. 30. 31.) problema in actu decidendum: quæ Centenarium inter Israeliticum & nostrum Centenarium fuerit differentia? —